

commissio furto veniam postulantibus. Qui eos benigne suscipiens, ad cellam hospitum cum magna hilaritate deduxit. Videntes illi in seruo Dei tantam clementiam, medium olei quod de Aegypto attulerant, monasterio obtulerunt. Quodque singulis annis tam ipsi quam eorum hæredes plenam olei hydriam in eodem cœnobio devotissime sponderunt. Quos beatus Hieronymus benigna commotione resecos, & spiritali benedictione roboratos, in pace dimisit. Interea venerabilis Paula, cujus supra fecimus mentionem admirans religiosam vitam reverendorum Episcoporum, Paulini scilicet Antiocheni, & Epiphani Salaminae, quos sedes apostolica pro quibusdam Ecclesiasticis negotiis detinebat: eorum atque Hieronymi accensa virtutibus, urbem Romam imò Babyloniam deserere cogitabat. Illis itaque ad sedes Ecclesiasticas negotiis detinebat: eorum atque Hieronymi accensa virtutibus, urbem Romam imò Babyloniam deserere cogitabat. Illis itaque ad sedes Ecclesiasticas negotiis detinebat: eorum atque Hieronymi accensa virtutibus, urbem Romam imò Babyloniam deserere cogitabat. Illis itaque ad sedes Ecclesiasticas negotiis detinebat: eorum atque Hieronymi accensa virtutibus, urbem Romam imò Babyloniam deserere cogitabat.

batur, penè triennio cum eis vixi. Multa me virginum crebrò turba circumdedit: divinos libros ut potui, nonnullis sæpe disserui. Lectio assiduitatem, assiduitas familiaritatem, familiaritas fiduciam fecerat. Dicant quid unquam in me aliter senserint, quàm quod Christianum decebat. Dicant, si pecuniam cujusquam accepi: si munera parva vel magna non spreivi. In manu mea as alicujus fuit? Nihil mihi aliud objicitur nisi sexus meus: & hoc nunquam objicitur, nisi cum Paula & Melania Hierosolymam proficiscuntur. Isti crediderunt mentienti: cur non credunt neganti? Idem est homo ipse, qui fuerat: fatetur infontem, qui dudum noxium predicabat. Et certè veritatem magis exprimunt tormenta, quàm risus: nisi quia facilius creditur, aut non fictum ut tingatur, impellitur. Antequam domum sanctæ Paulæ nossem: in me urbis studia consonabant. Omnium penè iudicio dignum sacerdotio decernebat. Beatæ memoriæ Damasi, sermo meus erat, dicebar sanctus, dicebar humilis & discretus. Nunquam domum alicujus lascivioris ingressus sum. Nunquam me vestes sericæ, nitentes gemmæ, picta facies, auri rapuit ambitio. Nulla fuit aliquando matronarum Romæ, quæ meam posset edomare mentem, nisi lugens atque jejunans Paula, squalens fordibus, fletibus penè cæcata: quam continuis noctibus Domini misericordiam deprecantem sol sæpe deprehendit. Cujus canticum psalmi, sermo, Evangelium: deliciae, continentia: vita, jejunium. Nulla me potuit aliquando delectare, nisi illa: quam manducantem nunquam vidi. Sed postquam eam pro suæ merito castitatis venerari, colere ac suspicere cœpi: omnes illico deseruere virtutes. O invidia primùm mordax tui, ô fatana calliditas semper sancta persequens. Gratias autem ago Deo meo, quòd dignus sim quem mundus oderit. Male cum quidam me garrunt: titulum fidei servus agnosco. Magum vocant & Judæi Dominum suum: seductor & Apostolus dictus est. Tentatio me non apprehendit nisi humana. Quotam partem angustiarum perpassus sum qui cruci milito? Infamiam falsi criminis importarunt: sed scio per bonam famam & malam perveniri ad regna cœlorum. Plenitudinem itaque sapientiæ & scientiæ adeptus, dedit ut abyssus vocem suam: & aquæ Hebraicæ amaritudinis ad verbum ejus dulcorata sunt, revelata sunt abscondita à saculis & generationibus. Cuncta enim volumina veteris testamenti prius de Græco, postea verò veraciori de Hebraico transtulit in Latinum. Eodémque ferè omnia spiritu revelante, cuius instructa sunt edita, diligenter exposuit. Scripsit enim in Genesim librum unum, absque subnotatis ad Damasum quaestionibus: cunctasque Homilias Origenis in Pentateuchum è Græco sermone transtulit in Latinum. Regum verò seu Paralipomenon quaestiones, quæ vocantur Hebraicæ, duobus libris prudenter explicavit, præter illas tres obscurissimas, quas scribens abundantius exposuerat. Quarum prima est: Cur David cum Achis ad expugnandum Saul ultroneus veniebat? Secunda, Cur David moriens præcepit filio, ut Joab magistrum militiæ interficeret. Tertia est de Semei, qui David fugientis maledictionis injurias irrogavit. Aliam quoque propositam de eisdem libris explicavit quaestionem. Quomodo scilicet Salomon & Ahas in duodecim annis filios genuerint. Porro Isaiam commentatus est libris decem & octo. Jeremiam libris viginti. Ezechielem libris quatuordecim. Da-

nielem libris tribus. Et duodecim prophetas libris viginti. De quibus, ut nihil relinqueretur dubium, nomine quoque eorum quemadmodum intelligi debeant, Etymologiis propriis pulcherrimo pacificis decore. In quosdam psalmos edidit tractatus luculentos, & in Ecclesiasten commentarios, atque in Canticum Canticorum duas ad Damasum homilias. Novum præterea testamentum Græcæ fidei reddidit. Ex quo Matthæum & Marcum compendiosa potius quam fastidiosa expositione studiosi lectoribus explicavit. Sed & in Lucam homilias viginti novem ab Origene editas in Latinum vertit, & plerasque Apostoli Epistolâs, ac Joannis Apocalypsim edidit. Postremo præcavens in futurum si quid fortè in novo Testamento vel veteri aliquando corrumpi contingeret, qua cura debeat reformari: scribens ad Lucinum insinuat, ut veterum, inquit, librorum fides ex Hebraeis voluminibus examinanda est: ita novorum quoque Græci sermonis normam desiderat. Denique & ego hujus monitis adquietescens, cum inter discordia veteris Testamenti Latina exemplaria fluctuarem: ad Hebraicam veritatem, de cuius fonte gustaveram, recursum habui, & inter corrupta & incorrupta; ejus testimonio discevi ac sententiam tuli. Cùmque sic deprehendissem zizaniorum germina inter triticum divinorum pullulasse voluminum, ea studui ab radice cuncta vellere: consignans etiam per libros loca ad corrumpendum proclivia, & brevi opusculo explicans, quibus maximè occasionibus soleant exemplaria depravari. Sanè Romana Ecclesia, cujus arbitrio subjacent universa, peritissimi viri non ignorans ingenium, translationem ejus quam vidit aliis verior, tam in Ecclesiis legendam, quàm etiam exponendam recepit. De qua beatus Gregorius in libro suorum moralium, novam, inquit, translationem disfero. Et in Ezechiele exponens illud quod de animalibus dicitur. Unumquodque duabus aliis velabat corpus suum, cùm subjunxisset: Et alterum similiter velabatur, protinus intulit: Translationem Septuaginta interpretum, Aquilæ, & Theodotionis, & Symmachii sollicitè perscrutantes, nihil ex his verbis invenimus: sed beati Hieronymi scripta relegendes agnovimus, quia hanc sententiam in Hebraica veritate ita positam non quidem juxta verbum, sed juxta sensum invenerit. Nam peritus interpret, ut omnino nil prætermitteret, aliquando verbum de verbo, aliquando cùm linguæ repugnaret barbaries, sensum solum exprimebat de verbis. Quem utique transferendi modum idem Hieronymus in libro quem de optimo genere interpretandi edidit, probabilem esse evidenter insinuat. Scripsit præterea adversus Jovinianum, & contra Helvidium de beatæ Mariæ virginitate perpetua librum unum. Quorum priorem asserentem nullam in futuro meriturum esse distantiam, & hunc voluptati carnis jugiter ministrantem hæreticum atque Epicurum Christianorum probat. Helvidium verò qui ex scripturis nitebatur ostendere intactam Dei matrem alios filios habuisse, velut idiotam, & scripturas penitus ignorantem redarguit. Porro alium quandam hæreticum, non scribendo, sed colloquendo confudit: qui de resurrectione carnis contra fidem catholicam sentiens, quaestiones hujusmodi proponebat. In qua atate resurrecturi sumus? Si in ipsa in qua morimur, ergo & nutricibus post resurrectionem opus erit. Si in altera, nequaquam erit resurrectio mortuorum, sed reformatio in alios. Diversitas quoque

sexus maris & foeminae erit an non erit? Si erit, sequentur & nuptiæ & concubitus & generatio. Si non erit: sublata diversitate sexus, eadem corpora non resurgent, sed tenuia & spiritalia. Et hæc probare volebat, inducens illud Apostoli: Seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale. Ad quod ait beatus Hieronymus: Cùm audissem, mihi que incubuisse necessitas, nequissima viperæ respondit, & sola eum interrogatione conveni. Credis, inquam resurrectionem mortuorum, an non? Qui cùm se credere respondisset, intuli: Eadem resurgent corpora, an alia? Qui cùm dixisset, eadem: sciscitatus sum: In eodem sexu, an in altero? Ad interrogata reticenti, & instar colubri huc atque illuc transferenti caput, ne feriretur. Quia, inquam, taces, ego mihi pro te respondebo, & consequentiam inferam. Si non resurget mulier nec masculus, non erit resurrectio mortuorum: quia cùm sexus membra habeat, membra totum corpus efficiunt. Si autem sexus & membra non fuerint, ubi erit resurrectio mortuorum? Sed & illud, quod de nuptiis objicit: si eadem membra fuerint, sequi nuptias. A Salvatore gustavitur. Errant nescientes scripturas, neque virtutem. In resurrectione enim non nubent neque nubentur: sed erunt similes angelis. Ubi dicitur, non nubent neque nubentur: sexuum diversitas monstratur. Nemo enim de lapide & ligno dicit, non nubent neque nubentur, quia naturam nubendi non habent: sed de his que possent nubere & Christi gratia & virtute non nubentur. Quòd si apposeris, Quomodo ergo erimus similes angelorum, cùm inter angelos non sit masculus aut foemina? breviter auscultata non substantiam angelorum, sed conversationem & beatitudinem repromitti. Similitudo promittitur, non natura nutritur. Porro si quis in qua atate resurrecturi sumus. Juxta Ecclesiarum traditiones, & Apostolum Paulum, illud est respondendum: quod in virum perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis Christi resurrecturi sumus. In qua atate conditum Adam Judæi autumant: & Salvatorem Dominum legimus resurrectisse. Et multa, inquit, alia de utroque testamento in suffocationem heretici protuli. Sed nunquid his tantum hæresibus repurgavit Ecclesiam? Nulla unquam hæresis ejus tempore pullulavit, quam ipse falce suæ eloquentiæ non succiderit. Nunquam enim peperit hereticis, sicut ipsemet asserit: sed omni egit studio, ut hostes Ecclesiæ, ejus quoque hostes fuerint. Nam & Ruffini viri eruditissimi, sui que collegæ cum quo mella sanctarum scripturarum consueverat lambere, idèo dicitur inimicitias incurrisse: quia eum de arbitrii libertate pravè sentientem vehementer corripuit: ejus zelum pro fidei rectitudine Romana Ecclesia approbat: ut beatus Papa Gelasius scripturarum sagacissimus indagator ejusdem Ruffini libros licet præclaro sermone editos repudiare videatur, hoc in suis decretis mandans: Ruffinus vir religiosus plurimos Ecclesiastici operis edidit libros: nonnullas etiam scripturas interpretatus est: sed quoniam beatissimus Hieronymus in aliquibus eum de arbitrii libertate notavit: illa sentimus, quæ prædictum sentire cognoscimus. Et non solum de Ruffino, sed etiam de universis, quos vir sæpius memoratus zelo Dei & fidei religione reprehendit. Idem Origenis nonnulla opuscula, quæ vir beatus Hieronymus non repudiavit, legenda suscipimus: reliqua verò omnia cum autoritate sua dicimus esse renuenda. Inter præclara vero studiorum suorum

opuscula scripsit librum de Illustribus viris, à sanctis Apostolis usque ad suam ætatem imitatus Tranquillum, Græcumque Apollonium, & post catalogum plurimorum, se quoque in calce voluminis quasi abortivum & minimum omnium Christianorum posuit: ubi sibi necesse fuit usque ad quintum & decimum annum Theodosii principis, si quæ scripserat breviter annotare. Commemorans inter cetera, quæ passim supra notata sunt: quod scripserat altercationem Luciferiani, & Orthodoxi. De locis, librum unum: de essentia Dei, librum unum: Hebraicorum nominum, librum unum: contra Pelagium librum unum. Epistolarum ad diversos, librum unum. Ad Marcellam Epistolarum, librum unum. Ad Paulam, inquit, & Eustochium, quia quotidie scribuntur, incertus est numerus. Quis nostrum tanta potest legere, quanta scripsit iste vir beatus Hieronymus? Quis hunc ardentem in scripturis animum & ferventem in Dei servitio, non miretur? Quis eum non potius angelum, quam hominem dixerit: dum nulli magis congruit illud propheticum: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est? Certè si manens in carne, secundum hominem ambulasset: ad tantum culmen scientiæ nullatenus pertigisset. Sed neque cuperet dissolvi cum Paulo, nec cum Christo se confideret inter angelos regnaturum. Verùm quia de mundo triumphaverat, quasi de laboris premio jam securus ad Heliolorum loquebatur: Crede mihi, nescio quid plus lucis aspicio: libet sarcina corporis abjecta ad purum ætheris evolare fulgorem. Tanta demum lassitudine fatigatus est, ut etiam in stratu suo jacens funiculo, quem intrabem suspenderat, supinus manibus apprehenso erigeretur. Ut videlicet officium monasterii prout poterat, exhiberet. nihil tamen minus sensus sinceritate vigeat ad rationem reddendam, undecumque interrogatus fuisset. Nam & beato Augustino Hipponensi Episcopo, suis eum questionibus provocanti, verius abyssum invocanti plenissime satisfecit: & se velut emeritum judicans, his eum verbis à sui provocatione deterret: Nos nostra habuimus tempora, & cucurrimus quantum potuimus, nunc te corrente & longa spatia transmeante, nobis detur otium. Simulque ut cum venia & honore tuo dixerim, ne solus mihi de poetis proposuisse aliquid videaris, memento Dareis & Entelli, & vulgaris proverbii, quod bos lassus fortiter pedem figat. Ad quod beatus Augustinus suppliciter respondens, ait: Cur itaque conor contra contractum fluminis, & non potius deprecor veniam? Obsecro, ut si te lassus, dimittas mihi: & si bos ut tibi videris, lassus senectute fortè corporis, non vigore animi: tamen in area dominica fructuoso labore defudans: ecce sum, si quid perperam dixi, fortius fige pedem. Non mihi molestum esse debet pondus ætatis tuæ, dummodo coneratur palea culpæ meæ. Præterea in libro quem ipse Augustinus contra errorem Juliani Pelagiani descripsit, qui nuptias censébat damnabiles, quod nihil ex eis nasceretur ab omni liberum obligatione peccati: dum plures contra ejus pestiferum dogma catholicos testes introduxisset, ita eundem præferens Hieronymum intulit. Nec sanctum Hieronymum presbyterum contemnendum arbitris,

qui Græco & Latino, insuper Hebræo eruditus eloquio, ex occidentali ad orientalem transiens Ecclesiam, in locis sanctis, atque in literis sacris usque ad decrepitam vixit ætatem. Cujus nobis eloquium ad Oriente in Occidentem, ad instar solis resplenduit. Omnis denique qui ante illum aliquid ex utraque urbis parte de doctrina Ecclesiæ legit, nec alia de re hanc quam prædixi, tenuit promissitque sententiam. Igitur beatus Hieronymus postquam exuberanti scriptorum suorum copia, inexpugnabilem Ecclesiæ Christi turrim contra jacula hæreticorum coerexit: nonagesimo ætatis suæ anno, imperii autem Theodosii duodecimo, in senectute bona migravit ad Dominum, videlicet ultima Septembris, & ejusdem diei hora ultima cum sol occideret. Sanctæ autem ac venerabiles femine Paula scilicet & Eustochium, exemplo & commotione ejus sæculi contemptrices, & crucis Christi bajulæ, ante ejus obitum vocante sponso emigrarant. Porro beatus Hieronymus dum adhuc viveret, scalpendo saxum in ingressu speluncæ dominici præsepis, sepulchrum sibi fecerat non longè à sepulchro prædictarum sanctarum. Ubi sæculi perversitate devicta sepultus est pridie Calend. Octobris. Mirabitur forsitan lector tam sanctas personas habere invidos potuisse. Mirandum verò non est: semper enim virtutes persequitur invidia, feriuntque summos fulmina montes. Nec mirum videri debet, hæc bonis contingere, cum ipse Dominus Phariseorum zelo sit crucifixus, & omnes sancti æmulos habuerunt. Esau persequatur Jacob. Saul quærebat animam David, & Salomoni suscitavit ipse Dominus Adad Idumeum. Jezabel etiam sacerdotes fugere compulit: & omnes Prophetas persecutus est populus Judæorum. Paulus Apostolus de fratribus falsis conqueritur, & per murum demittitur, ne ab hostibus capiatur. Ac multimoda enarrans pericula de se suisque similibus loquitur: Spectaculum facti sumus huic mundo, & angelis & hominibus. Et, Nos stulti propter Christum. Et, Quod stultum est Deo, sapientius est hominibus. Unde & Salvator loquitur ad patrem: Tu scis insipientiam meam, quem in Evangelio propinqui quasi mentis impotem æstimabant, & adversarii calumniabantur, dicentes: Dæmonium habet. Et, Samaritanus est. Et, In Beelzebub principe dæmoniorum ejecit dæmonia. Sed beatus qui dicere potest cum Apostolo: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ: quoniam in sanctitate & sinceritate, & gloria Dei conversati sumus in mundo. Audiens proinde Dominum dicentem: Ideo mundus vos odit, quia non estis de mundo. Si enim essetis de mundo: mundus quod suum erat diligeret. Periculosum est malum dixisse de bonis. Nam sicut probatis ad coronam, ita exprobrantibus ad damnationis tumulum cedit. Quod & beatus Augustinus testatur, dicens: Nemo laceret servos Dei, quia non expedit lacerantibus. Servis quidem Dei falsis detractionibus crescit merces, sed & poena crescit detrahentibus. Nam non sine causa dictum est: Cum vos oderint homines & exprobraverint, mentientes: gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis. Itaque consolemur invicem in verbis istis, benedicentes Dominum in omnibus viis suis. Qui vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

## SEVERI SULPICII TESTIMONIUM DE S<sup>TO</sup> HIERONYMO.

*Dialog. Libro primo.*

**I**gitur inde digressus, Bethleem oppidum petii, quod ab Hierosolymis sex millibus disparatur, ab Alexandria autem sedecim mansionibus abest. Ecclesiam loci illius Hieronymus presbyter regit. Nam parochia est Episcopi: qui Hierosolymam tenet. Mihi jam pridem Hieronymus superiori illa mea peregrinatione compertus, facile obtinuerat, ut nullum mihi expetendum rectius arbitrarer. Vir enim præter fidei meritum, dotemque virtutum, non solum Latinis atque Græcis, sed & Hebræis etiam ita litteris institutus est, ut se illi in omni scientia nemo audeat comparare. Miror autem, si non & vobis per multa quæ scripsit opera compertus est, cum per totum orbem legatur. Nobis verò, Gallus inquit, nimium nimiumque compertus est. Nam ante hoc quinquennium quendam illius libellum legi, in quo tota nostrorum natio monachorum ab eo vehementissimè vexatur, & carpitur. Unde interdum Belgicus noster valde irasci solet, quod dixerit, nos usque ad vomitum solere satiari. Ego autem illi viro ignosco, atque ita sentio, de Orientalibus illum potius monachis, quam de Occidentalibus disputasse. Nam edacitas in Græcis gula est, in Gallis natura. Tum ego: scholasticè, inquam, Galle defendis gentem tuam: sed quæso te, liber iste, nunquid hoc solum vitium damnat in monachis? Immo verò, inquit, nihil penitus omisit, quod non carperet, laceraret, exponeret: præcipuè avaritiam, nec minus vanitatem insectatus est. Multa de superbia, non pauca de superstitione discernit, verè fatebor, pinxisse mihi videretur vitia multorum. Cæterum de familiaritatibus virginum & monachorum, atque etiam clericorum, quam vera, quam fortia disputavit; unde à quibusdam,

quos nominare nolo, dicitur non amari. Nam sicut Belgicus noster irascitur, edacitatis nimia nos notatos: ita illi fremere dicuntur, cum in illo opusculo scriptum legunt, coelibem spernit virgo germanum fratrem, quærit extraneum. Ad hæc ego: nimium, inquam, Galle progredieris: cave ne & te aliquis, qui hæc fortassis agnoscat, exaudiat, teque unà cum Hieronymo incipiat non amare. Nam quia scholasticus es, non immeritò te verus Comici illius admonebo: *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Tua nobis potius, ut cæperas Postumiane, repetatur Orientalis oratio: Ego, inquit, ut dicere institueram, apud Hieronymum sex mensibus fui: cujus jugis adversus malos pugna, perpetuumque certamen, concivit odia perditorum. Oderunt eum hæretici, quia eos impugnare non desinit: oderunt Clerici, quia vitam eorum insectatur, & criminat. Sed planè eum boni omnes admirantur, & diligunt. Nam qui eum hæreticum esse arbitrantur, insanunt. Verè dixerim, catholica hominis scientia, sana doctrina est. Totus semper in lectione, totus in libris est: non die, non nocte requiescit: aut legit aliquid semper, aut scribit. Quod nisi mihi fuisset fixum animo, & promissum, Deo teste, propositam eremum adire, vel exigui temporis punctum à tanto viro discedere noluissem. Huic ergo traditis atque commissis omnibus meis, omnique familia, quæ me contra voluntatem animi mei secuta tenebat implurum, exoneratus quodammodo gravi face penitus, ac liber regressus Alexandriam, visitatis ibi fratribus, ad superiorem inde Thebaidam, id est, ad Ægypti extrema contendit. Ibi enim vastæ patentis eremi solitudines plurimum ferebantur habere monachorum.

## G E N N A D I I I L L U S T R I U M V I R O R U M C A T A L O G U S.

I.

**H**IERONYMUS noster litteris Græcis ac Latinis Romæ adprimè eruditus; Presbyter quoque ibidem ordinatus est. Porro ad Bethleem oppidum juvenis advenit: ubi prudens animal ad præsepe Domini sese obtulit permanfurum. Inter cætera operum suorum opuscula, usque ad Theodosii xiv. Imperii annum, à beato Petro sumens exordium, usque in semetipsum, de viris illustribus scripsit. Innumeris præterea libris, Apostolorum

Prophetarumque constructionibus editis, immobitem Catholice turrem Ecclesiæ contra perfidorum jacula consummavit. Litteris quoque Hebraicis atque Chaldaicis ita edoctus, ut omnes veteris Testamenti libros, ex Hebræorum scilicet codicibus, verteret in Latinum. Danielem quoque Prophetam Chaldaico stylo locutum, & Job justum Arabico, in Romanam linguam utrumque Auctorem perfectæ interpretatione mutaverit. Marthæi nihilominus Evangelium ex Hebræo fecit esse Romanum. Namque mentis corporisque virginitatem,